

aliorum Dominorum Terrestrium loca, cum Suis, quae adusque portarunt. Oneribus Publicis modo praevis Incorporanda a die 1. Novembris Secundum Normam hactenus usitatam, stabilita autem semel antelata Nova repartitione, Secundum illam praestationes Suas Peccuniarias ad Cassas Comitatus adminstrandam habebunt; Quemadmodum etiam praespecificata Militaria Loca, quae sub Incorporationem cadent, et hactenus non contribuerunt, quam primum conscripta fuerint, iisdemque proportionatum onus adrepartitum exstiterit, non expectata etiam universalis Conscriptionis et repartitionis ratificatione, Provisorie statim ad instar aliorum contribuere et praestanda praestare debebunt; illis tamen Hospitibus, seu Patribus familias exceptis, qui actu extra Regnum in Castris nostris constituti sunt, his enim ut semet pro futuro vel ad Militarem, vel Provincialem statum resolvere possint, Respirium usque Primam Novembris Anni sequentis 1746 dari, interea autem ipsos in statu, quo antehac fuerint, relinqui volumus. Ut porro

O c t a v o : Etiam circa Regulamentum Militare interimalis Provisio fiat, clementer resolvimus, ut post factam Incorporationem, et eousque in Partibus illis hactenus usitatum Militare Regulamentum, cum Hungarico Regulamento comportari, et in quibus in specie punctis ab invicem differant, punctatim investigari, ac demum primo cognosci queat, utrum pro futuro etiam prius Regulamentum Militare, quod in Syrmio et inferiori Sclavonia hactenus usitatum fuit, in suo esse relinquendum, vel in quibus punctis modificandum, vel plane nefors abrogandum, et in locum illius Hungaricum Regulamentum ibidem inducendum sit? interea, et eousque Partes illae poenes hactenus habitum Regulamentum Militare provisorie maneant. Ideo Commissio haec praemissam duorum Militarum Regulamentorum Combinationem Communi labore instituet, et quid pro futuro eatenus Statuendum esse censeat? opinionem suam submittet; Interea autem (uti praemissum est) et usque ulteriorem resolutionem et Dispositionem nostram hactenus in Syrmio et Sclavonia introductum Regulamentum Militare debite observandum ordinabit.

N o n o : Quamvis quidem ex relatione Comitatus Bani sub die 4. Julij 1740 submissa appareat, quod Status et Ordines Regni Croatiae petierint, ut Dominium Comitatus Erdödy Kutina dictum, iuxta Articulum 51. Anni 1741 Comitatus Crisiensi in Regno Croatiae sito Incorporaretur, ac etiam eorum contribuere teneatur, cum tamen indubium sit, quod antelatum Dominium hactenus ad inferiorem Sclavoniam et quidem a 62 sessionibus contribuerit, et si idem Dominium praefato Comitatus Crisiensi, adeoque Regno Croatiae, cum suo, quod hactenus supportavit, onere incorporaretur, illud aerario nostro Regio in furtum decederet: ideo clementer resolvimus, ut eousque donec memorati Status et Ordines edocuerint, quod repetitum Dominium Kutina non Armis a Turca recuperatum, sed alia peculiari modalitate ad Sclavoniam inferiorem applicatum sit, idem Dominium ulterius quoque in medium ejusdem Sclavoniae, ad sibi proxime vicinum ibidem Comitatum, a proportionem sessionum suarum contribuere et onera publica praestare debeat. Et quia

D e c i m o : Facta Syrmij et inferioris Sclavoniae modo praevisoluta et ordinata Incorporatione, ratio Tricesimarum hactenus in Confinijs Regni Hungariae et Croatiae adversus Sclavoniam, et vicissim in Confinijs Sclavoniae contra Hungariam et Croatiam positarum cessaret, ideo benigne annuimus; Ut postquam praemissorum Incorporatio in effectum deducta fuerit, eaedem Tricesimae illinc tollantur et ad nova Confinia versus Turcicum posita transferantur; Tella tamen in Syrmio